



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Athanasius Ep. 2. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ: & constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis anima confitentis per lacrimas profluat. S. Aug. in libro 50. Hom.

S. ATHANASIUS EP. 2. Maii.

Non raro pueritia toti vitæ præludit. Ita ATHANASIVS Alexandriæ inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hic alius non nemo suppetias latus innocentia, ideoque ATHANASIVM sese assimulans; heus, inquit, ego ne vitium tibi feci? mox illa: tu vero ipissimus. Ita cùm & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamat Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sàpè ATHANASIVS totum pànè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latitavit quinque, indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cùm hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ArSENIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectâ Alexandriam rever-

K 4 sus,

224 VITÆ SANCTORVM. 2. Maii.  
sus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor  
menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno  
CCC. LXXII. nunc inter mortuos iterum vivit.  
*Ex Baron.*

*Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius  
non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum con-  
sequi non poterit, qui in adolescentia disciplinâ aliquam  
exercitatione non laboravit.* S. Cypr. de 12. Abus.

S. ANTONINUS EP. 2. Maii.

**A**NTONINVS Florentinorum Praeful, ad CHRI-  
STI in cruce imaginem sublimis raptus, melli-  
tissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. At-  
que ex his illum uberibus hausisse amorem crede,  
quem in omnes posteā pauperes dispensavit, tum  
ratus præclarè se rem administrasse domesticam,  
si domi nec supellex, nec penus esset. Viderat ædi-  
bus Cælites insidere; ingressus cùm duas inge-  
nuas, sed pauperes virgines operi cùm matre in-  
tentas reperisset, liberali manu paupertatem sub-  
levavit. Verū cùm illæ se luxui deinceps dedis-  
sent, pulsisque è tecto bonis geniis mali succe-  
sissent, ut meliores iterum hospites in ædes immi-  
grarent, emigrare otium jussit. Illud jucundum di-  
ctu. Rusticellus canistrum pomis onustum Divo  
donarat. Hic gratias habuit. At cùm ille referri  
sibi maluisset, ANTONINVS pomis in unam lan-  
cem, solennibus verò illis & in chartâ descriptis  
verbis, *Deo gratias*, in alteram injectis, rem exami-  
ni permisit; & ecce duo verba pondere suo omni  
poma superarunt: ut planè decipi egenos à diviti-  
bus videamus, dum hi pro tam exigua stipe tam  
multū recipiunt. Obiit porrò an. M. CCCC. LIX.  
*Ægrotantis verba illa feruntur: Servire Deo regna-*